DE INSIGNIBVS GENTILITIIS

AB

SERENISS. DVCVM LOTHARINGORVM FAMILIAE,

AD SERENISSIMAM MAGNAM HETRVRIAE DVCISSAM CHRISTINAM LOTHARINGAM

Diſſertatio.

Auctore IVLIO CAESARE Bulengero in Academia Piſana Humanitatis Doctori.

MED. PALAT. BIBL. CAES.

PISIS, Apud Ioannem Fontanum, M. DC. XVII.
Superiorum permiſſu.

BIBLIOTECA NAZIONALE
1379

EPIGRAMMA.

Hę niueæ volucres, hæc ora cruenta Leonum,
Cur prope viuificæ ſtant monumẽta crucis?
Quod niueis auibus Lotharinga è gẽte Leones
Viuificę abſtulerint hoſtibus arma Crucis.

DE INSIGNIBVS GENTILITIIS

AB

SERENISS. DVCVM LOTHARINGORVM FAMILIAE,

AD SERENISSIMAM MAGNAM HETRVRIAE DVCISSAM CHRISTINAM LOTHARINGAM,

Diſsertatio.

ELEPHANTIS *id inſitum hiſtorici prodidere, vt dentibus arborem cõuellere non ante conentur, quam proboſcide tentarint, an ea tam altis radicibus hæreat vt conatibus ſuis ſuperior ſit: ſi infra vires ſuas eſſe ſenſerint tum demum operi ſerio ſe admouent, & robur intendunt. Debuit mihi documento eſse brutum illud animal vt ingenij mei vires metirer, priuſquam de tuis inſignibus, Sereniſsima Princeps, agerem, quæ antiqua, Auguſta, & tibi cum Regibus, ac Imperatoribus communia ſunt. Vereor vt illud mhi eueniat, quod anſeribus euenire aiunt, qui adeo pertinaciter in radice quam ſemel roſtro appetiuerint, vellenda incumbunt, vt ſæpe in ipſo conatu animam ponant, qui-*

cunque tamen rei exitus futurus ſit, quia ſemel hoc opus animo præcepi, omne ingenij robur intendam, ſi forte ſufficiat, vt de Sereniſsimæ gentis tuæ argumentis diſſeram, & vt viam reliquæ orationi faciam, admonebo, ſicuti olim moris fuit, vt equis generoſæ ſtirpis nota inureretur, qua poſſent ab alijs internoſci, ex eo enim alij Coppatiæ, alij Samphoræ, quidam Bucephali dicti, ita Illuſtrium gentium Duces ſibi propria inſignia ſumpſiſſe, quibus ab aliis diuerſi eſſent. Argumenta veteres vocarunt, & ænigmata quod vario rerum inuolucro multiplicem ſenſum includerent, & ſtemmata gentis ſuæ illuſtri ſignorum imagine occulerent. Virgilius

Argumentum ingens, & cuſtos Virginis Argus.

In inſignibus autem Sereniſſimæ tuæ familiæ primum locum obtinet rubea crux, quam ob operam egregie bello ſacro nauatam Gottofredo Bulioneo gentis tuæ Principi Ducum omnium conſenſu delatam, & inſignibus eius dicatam regni Hyeroſolimitani auſpicijs omnes conſentiunt. Quæ in orbe chriſtiano quid Auguſtius, quid Sanctius quid venerabilius eſſe poteſt? Apud Ruffinum Aegyptij crucem ſuis illis Ieroglyphicis inuolucris venturam vitam ſignificaſſe aſſeuerant. Conſtantinus ille Magnus Principi legionum vexillo quod labarum vocarunt, crucem rubeam appinxit, canente Prudentio

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, ſummis crux addita Chriſtis.

Suidas ſcribit Iuſtiniano Auguſto ſtatuas poſitas eſſe quæ dextra orbem gererent, cuius vertice crux inſideret, vt crucis virtute vniuerſus orbis ſub ditionem eius cecidiſſe indicaretur. Suppara vexillorum, & Candyes labarorum, ait Tertulianus, ſtolæ ſunt crucium. in patibulo primum dij gentilium dedicantur. quod ſimulacrum non prius argilla deformet cruci, & ſtipiti ſuperſtructa? Aues aerem liquido meatu ſecantes expanſis alis crucem delineant, Cum à nautis Maria ſulcantur prius ab ipſis arbor erigitur, velum diſtenditur, vt cruce Domini facta ſecurius nauigetur. Agricola cum aratro dentale ſubijcit, affigit aures, ſtiuam

nam

uam inſerit, crucis figuram imitatur, Macrob. lib. 1. Saturnalium, Romæ dies continuos 30. iuſtos fuiſſe ſcribit, quibus exercitu imperato vexillum ruſſei coloris in arce poneretur. Chriſtus in cruce velut in arce vexillum ſuum poſuit, vt hominibus dies vitæ omnes iuſti ac præliares eſſent, quibus vitia expugnarent. Crux lignum illud eſt, quo à Moyſe in fontem iniecto aquæ Marath, quæ prius amaræ & inſynceræ erant, dulces & potui opportunæ factæ ſunt, Virga illa eſt, cuius attactu idem Moyſes aquas elicuit e ſaxo duriſſimo, ſignum illud eſt quod leuauit Deus in gentes, vt diſperſos Iſrael congregaret: Chriſtus apud Trudentium in hæc verba de cruce, loquitur.

Agnoſcas regina lubens mea ſigna neceſſe eſt,
In quibus effigies crucis, aut gemmata refulget,
Aut ſummis ſolido ex auro portatur in haſtis.

S. Paulinus.

Cerne coronatam Domini ſuper atria Chriſti
ſtare crucem.

Veteres enim in fronte ędium, in aditu templorum, in veſtibulis regiarum crucem aſculpere ſoliti erant. Quam, quia plures hodie aduerſos habet, Turcos, Iudęos, hæreticos, Rododendro ſimilem non immerito eſſe dixerim quod brutis noxium, & exitiale eſt, hominibus ſalutare. Euonymon arborem eſſe aiunt, ex qua nauis Argo texta eſt, quæ nec aqua, nec igni corumpi, nec procellis euerti, aut profundis hauriri potuit. omnino Crux Chriſti arbor eſt Euonymos, & bene nominata, quam quia Sereniſſima tua familia ſibi prima inter inſignia adſciuit, non incendio, non armis, non vlla tempeſtatum ſæuitia profligari poteſt. Memoriæ proditum eſt arborem in India eſſe cognomento peridexion, ad quam columbæ, vt draconis inuolantis impetum vitent, velut ad aſylum confugiant: in quamcumque enim partem arboris vmbra propenderit, territi dracones euolant, Columbæ in tuto ſunt, Crux arbori illi non abſimilis eſt, quæ in quamcumque partem incubuerit, aduerſa omnia abſiſtunt. libet igitur hic mihi exclamare, ô bona Crux, quæ in ruborem ſanguine Chriſti data es, & decorem

ſan-

ſanctiſſimi eius corporis attactu ſuſcepiſti, diu deſiderata, efflictim amata, quàm bene in eius gentis inſignia te induiſti, quę ſanguinem ſuum animoſe fudit, vt te barbarorum manibus eriperet, qui ſanctitudinem tuam omnibus iniurijs violarant, & Chriſti Domini ſanguinem per omnia ſupplicia crudeliter effuderant. Alterum in inſignibus tuis locum duo leones tenent, quos ideo nonnulli a maioribus tuis adſcitos volunt quod Godofredus ille Sereniſſimæ tuæ gentis caput in Syria non modo vrſum lucta vicerit & confecerit, ſed etiam duos leones inter venandum obuios venabulo exceperit, & confoderit, alij argumento imperij eſſe putant, quod leo in cætera animantia habet. quidam generoſi animi & inuicti quo feras omnes leo ſuperat, & ipſo obtutu terret. Sandrocotto Indo gregario militi, cum leo dormientem lamberet, omen imperij dedit, quod ille Macedonibus eripuit. Leo Diadumeno Macrini filio in cunis vagienti cum nutricem eius obuiā laceraſſet, & infanti lambendo abblanditus eſſet, imperium portendit. Aegyptij olim primoribus leonis partibus quæ firmæ ſunt & igneę Deum ſignificabant, qui ſe tuæ genti per tam clara inſignia præſentem ac propitium ſpondet. De Leone Virgil.

Pænorum qualis in aruis.
Saucius ille graui venantum vulnere pectus
Tum demum mouet arma leo, gaudetque comantes
Excutiens ceruice toros, fixumque latronis
Impauidus frangit telum, & fremit ore cruento.

Apud Heſiodum leo ignem oculis torua tuens iacit, & latera humeroſque cauda flagellans, erecta & horrenti iuba, dorſo in arcum ſinuato, terram pede proſubigit, & ore ſanguineo frendet. Lucretius.

Mens eſt violenta leonum,
Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt.

Verum vt feri, ac iracundi Leones ſint, ſupplicibus tamen parcunt, ad infantium vagitum emolliuntur, & feminis imbecillis abſtinent, qui quia oculis apertis dormiunt, in Aegypto ædium veſtibulis quaſi cuſtodes aſculpebantur. Ptolomæus Hephæſtion

apud

apud Photium ait in Græcia moris fuiſſe, vt Heroum Sepulcris lapidei leones quaſi excubitores apponerentur; Tertio in Inſignibus tuis loco ſunt tres in clypeolo candidæ aues, quas equidem Cygnos eſſe crediderim, quorum in morte ſuauiſſimum cantum eſſe aiunt.

Sic vbi fata vocant, vdis abiectus in herbis
Ad vada Meandri concinit albus olor.

Horum occurſum in Auſpicijs felicem, & auſpicatum Hetruſci olim putarunt, unde & vetus poeta.

Cygnus in auſpicijs ſemper lætiſsimus ales.

Cygnus Aquilam nunquam prior laceſſit, ſed laceſſitus generoſe inſurgit, & victor ſemper abſcedit.

Aſpice bis ſenos lætantes agmine Cygnos
Aetheria quos lapſa plaga Iouis ales aperto
Turbabat cœlo, nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas iam deſpectare videntur.

Certe albæ aues omnes in auſpicijs lætæ fuere, quare poeta dixit,

Lętitiamque albæ concinuiſtis aues.

Quid ſi Ibes Aegyptias eſſe dicas ſerpentibus infeſtas, quas ab Aethiopia inuolantes diſcerpunt, & vorant, eas circa Peluſium tantum nigras, cæteris omnibus locis candidas Plinius prodit. Nonnulli Halcyones eſſe putant, candidis pennis aues, quæ bruma fœtificant, & Halcyonios dies faciunt placido mari, & nauigabili. Mirum in modum illæ aues Sereniſſimæ tuæ genti cõueniunt, qua nihil placatius, nihil magis compoſitum eſſe poteſt, quæ quidem, & domi pacem alit, & apud alios quantum hominum induſtria, & conſilio prouideri poteſt, ſedulo conſtituit, ut pace obſtricti Dei cultum latius propagent. Societas enim hominum lapidum fornicationi ſimillima eſt, quæ caſura niſi inuicem obſtent, hoc ipſo continetur. Optime cecinit poeta.

At

At nobis pax alma veni, ſpicamque teneto;
Perfluat & pomis candidus ante ſinus.

Dixerit aliquis albas in ſcutulo tuo aves tres eſſe columbas; quibus nihil pacatius eſt, nihil ſimplicius, aut integrius. Ideo in ueteri nummo pacis argumento alba columba exſculpta eſt cum ramo oleę. Inſcriptio, intus & foris. quia intus columba ſine felle, foris alba eſt; Tu inter Heroinas omnes columba ingenium uere præſtas, cuius conſilio Magnus Hetrurię Dux, per ſe licet conſultiſſimus, atque adeo uniuerſa Hetruria innititur, tua prudentia, & moderatione.

Clauduntur belli portæ, furor impius intus
Sæua ſedens ſuper arma & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis fremit horridus ore cruento.

An tres eſſe putes gallinas albas, quarum una Liuiæ Druſillæ adeo auſpicata fuit, ut ei imperium addixerit. cum enim illa Cæſari pacta eſſet, gallinam conſpicui candoris ſedenti aquila ex alto in gremium illæſum abiecit. Intrepideque miranti, acceſſit miraculum, quoniam teneret roſtro Laureum ramum ſuis baccis onuſtum, ex quo ſato, & in humum depacto uberrima ſylua prouenit. Si gallina una alba imperium Liuia portendit, tres gallinulæ albæ ſcutulo tuo incluſæ quot imperia tibi tuæque genti portendunt? Adde quod ternio ille auſpicatiſſimus, ac maxime religioſus eſt. Ariſtoteles lib. 1. De cælo, tribus lineis corpus effici docet, qui magnitudinis omnis ſit terminus, quia tribus omnia conſtent, ut ternio ſit ubique. Ut enim Pythagorei ſentiunt, uniuerſum hoc tribus continetur, principio, medio, & fine. Martianus Capella triadem principem, perfectumque imparium numerum eſſe ait. Tres ſunt gratię, tres parcę, tria tempora

Trina terentino celebrata trinoctia ludo,
Qualia bis genito Thebis trieterica Baccho,
In Phyſicis tria prima, Deus, mundus, data forma;
Per trinas ſpecies trigonorum regula currit.

Omnia duo ad cohærendum tertio aliquo egent, ait Tullius.

Exi-

Exiſtimem equidem tribus illis auibus albis tres Sanctiſſimæ triadis perſonas ſignificari, quæ corde tuo, Sereniſſima Princeps, & omnium tuæ gentis principum, quaſi ſcutulo contineantur, quia ſcutulum illud cordis ſpeciem exhibet quod in imo anguſtũ, in ſummo latum ſit. quæ enim gens unquam, Sanctiſſimæ triadi quam tua magis addicta fuit, quod hominum genus religioſius, ac pietatis diligentius. Sed ut cæteros tuæ gentis Duces omittamus, & te propius intueamur, ubi unquam ſyncerior pietas, & integrior Dei amor, quam in te una eluxit. tu orto ſole & occaſo in precibus uigilas, tu die, tu nocte, tu in publico, tu in priuato officia Deum curantia pie fungeris. O religioſam animi indolem, mentemque uere piam, cor integrum, & ſyncerum, quod Deum trinum ubique ſpiret, ac ſuſpiret. Audio quoſdam ita ſenſiſſe, tres illas aues tuis inſignibus incluſas quod unus aliquis ex tua gente uir princeps tres una ſagitta candidas aues per aerem meantes certo ictu confixerit, quod difficillimum ſagittarij eſſe aiunt. quare apud poetam Euritionis ars ante alios prædicatur, qui

Iam vacuo lætam cęlo ſpeculatus, & alis
Plaudentem nigra figit ſub nube columbam.

Quartum locum obtinent lilia ſex aurea, quæ gentiles tuî ab Auſtraſiæ Regibus à quibus genus duxere, mutuati ſunt. Lilia in ſacris literis integritatem, ac innocentiam ubique ſignant. amica mea, inquit ſponſus, in cantico Solomonis, ſicut Lilium inter ſpinas. Iuſtus germinabit ſicut Lilium, & florebit in æternum ante Dominum. Lilia auctore Plinio ſeruntur lacryma ſua, nihilque eſt fœcundius, una radice quinquaginta ſæpe emittente bulbos. Omnino Lilijs cum Medicea, gentis globis optime conuenit, cum Lilia pro radice globos habeant, & è bulbis orbiculatis exoriantur. Lilia in Sereniſſimæ tuæ gentis inſignibus ſena ſunt, tria ſurſum, tria deorſum, quæ ſenarium, numerum perfectum efficiunt quia primus in tres partes æquales diuiditur, ut docet philo Iudæus, in dimidiam, tertiam, & ſextam, & æquilateris bis tribus conſtat, tum quia ſolus ex omnibus numeris, qui infra decem ſunt efficitur, cum ex tribus duobus, & uno coniunctus ſit. Sex diebus uniuerſi huius compago à Deo Opt. Max. abſoluta eſt,

B con-

conuerſio ſolis a tropico ad tropicum ſex menſibus currit, & totidem recurrit, ut uere ineunte flores excitet, Autumno decutiat, ſex menſibus Embryon in utero matris perficitur, Ideo Pythagorici Senarium numerum coniugalem uocant, & ueneri ſacrum eſſe aiunt, quia inter binarium, & denarium medius eſt, & ab utroque tandumdem diſtat; tum uero quia ut nuptiæ mari; & fæmina conſtant, ita Senarius ternario, quem marem eſſe aiunt, & binario quem fæminam. par enim numerus mas, impar famina habetur. quinto loco ſunt ſurſum deorſumque ſegmenta plura, rubra, & argentea, quæ maiores tui inſignibus ſuis aſciuerunt, ut ſe belli paciſque ſtudijs uigere oſtenderent: Rubeus enim color ſanguinem, & Martis horrorem, argenteus pacem oſtendit; quia opes & auri argentique copiæ pacis beneficio maxime augentur, Ideo Athenis pax Plutum, & cornu Amaltheę geſtans inter Deos culta eſt. pax, inquit, Ariſtophanes agricolam inter ſaxa bene alit, bellum opulentos nudat & inter opes fame perdit. ô te felicem Hetruria, quæ magnorum Principum Sapientia otium colis, & immota pace, ac inconcuſſa frueris finitimi tui bellis internecinis ęſtuant, & ſe ſuoſque cędibus, urbium excidijs, agrorum uaſtitate, atterunt, tu inter aliorum diſcidia periculi expers in pace agis, agros colis, hortos ornas, domos opibus auges, negotiationem terra marique ſecura exerces. Non te miles tuus, non te alienus exhaurit, non ſanguine agri, non latrocinijs pagi fœdantur vbique ſudum, ubique tranquillum eſt, Huius tanti beneficij gratia Deo primum, à quo bona omnia fluunt; tum uero Sereniſſimo Magno Hetruriæ Duci, & Sereniſſimæ Magnæ Ducisſæ Matri eius ſapientiſſimæ, ac integerrimæ fæminæ debetur. Non de nihilo eſt, quod Pindarus in Phythijs pacem iuſtitię filiam eſſe dixit quæ conſilij & belli claues teneat, quia iuſtitia pacem parit, & conſilio bella premit, ac coercet. Equidem Segmentis illis rubris, & albis iuſtitiam ſignificari exiſtimem, quia æqualia inter ſe sūt, & æquis interuallis à ſe diſtant, & 4. infra, & 4. ſupra octonarium numerum efficiunt, qui iuſtitiæ ſacer eſt; quare Pythagorei apud Macrobium ogdoadem iuſtitiam vocant, quia prima omnium ſoluitur in numeros pariter pares, ideſt bis quaterna, quæ ipſa ſoluuntur in numeros pariter pares, bis bina: hic octonarius cubus omnium cuborum primus eſt, vt monas omnium numerorum. Nonnulli ſegmenta illa regiarum veſtium ornamenta eſſe

va: